

*monio Spiritus. Et paulò post, Testimonium Spiritus omni ratione præstantius esse respondeo. Nam sicuti Deus solus de se idoneus est testis in suo sermone: ita etiam non ante fidem reperiet sermo in hominum cordibus, quàm interiore Spiritus testimonio obsignetur, &c.* Videantur præterea Zanch. Tractat. de Sacra. Scriptur. quæst. 2. part. 4. propos. 7. Walæ. Locor. Theol. loc. de Scripturæ Sacra. Autorit. Scarp. Curs. Theolog. loc. de Scriptur. Controvers. 6. Alting. Oper. Theolog. part. 1. loc. 2. & Polan. Syntagm. Theolog. lib. 1. cap. 16. qui hoc internum Spiritus sancti Testimonium definit, quòd sit *revelatio interna Spiritus sancti, qui nos per internum afflatum ita docet in cordibus nostris, quòd efficaciter persuadeat, ut firmiter credamus Scripturam sacram, quam habemus in libris Prophetis & Apostolicis esse verè & indubitato verbum Dei.* Quæ definitio, si posteriora verba immutentur in hunc modum, *ut firmiter credamus aliquem Scripturæ sensum, aut proprio Marte investigatum, aut ab aliò edoctum, esse indubitato verum atque genuinum,* comprehendet id, quod meò iudicio per internam Spiritus S. persuasionem circa verum S. Scripturæ sensum, indigitare volunt Theologi reformati.

3. Sed, ut liberè, quod sentio, aperiam, fateor me hujus Definitionis verba quidem audire, mentem verò sensumque minimè assequi. Declaratur enim obscurum per æquè obscurum, atque idem per seipsum. Quid enim interna revelatio? quid internus afflatus? quid efficaciter persuaderi? quid firmiter credere? Præterea, quid est definitum? actione Spiritus sancti, an effectum? & si effectum, quid est in Fidelium animabus, & quomodo eas afficit; nihil enim hic nisi externæ denominationes afferuntur. Si itaque per Spiritus S. internam revelationem, internumque afflatum intelligant claram distinctamque perceptionem per naturale intellectus lumen à Spiritu sancto productam in mentibus fidelium; ac per efficacem persuasionem, & firmam fidem, intimam istius perceptionis conscientiam, & plenam in eâ acquiescentiam, nihil à nobis seorsim sentiunt, ut principiò hujus capituli explicuimus. Sin verò supernaturale quid, & quod Naturæ vires excedat, ejusque ordinariū cursum exsuperet, quale heic loci semper crepant, & venditant, designatum velint: videant ipsi, an non in veterum Enthusiatarum, aut fanaticorum ac malè feriatarum quorundam recens exortorum hominum, quos Quakeros appellant, transeant castra, quæ tantò studio se devitare prædicant: Enthusiatarum enim Prophetias, ac spirituales revelationes jam dudum cum Montani paracletò valere jussit Ecclesia, ut ex Chamiero, jam sæpius attulimus, & Quakerorum deliramenta de lumine & Spiritu, internasque illuminationes, meritò rejiciunt hodierni Theologi: utpote qui spiritum suum supra Sacras Scripturas efferunt, qui que rationem omnem, omnesque liberales disciplinas, cum linguis originalibus se pedi-